

cumbentem; cuius peruerso consilio, non multo antè, vt propinquas vrbes facilius tueretur, aut occupantibus Tyrannis eriperet, cæteras quæ remotæ ditionis erant, Bonifacio pontifici tradendas censuerat, scilicet vt eo insigni munere inanem promereretur amicitiam, & tutelare fœdus afflictis & plane perditis rebus impetraret. Per hunc modum Bononia tantis impensis atque laboribus parta itemque Assisium atque Perugia Vmbriæ vrbes, Mediolanensî Imperio adiectæ, quum ex calamitate leuitatèque Ioannis, Fortuna eodem pertinaci vestigio nixa, alienæ felicitati aspiraret; in ditionem Pontificii Imperii concesserunt. Pari quoque ignauia aut desperatione Senensibus obtruncato Corregio præfecto desciscentibus, libertatem cruentis admodum seditionibus implicatam reliquit. Cæterum nihilo secius Mediolani certabatur, recrudescentibus ciuium odiis, per mutuas cædes, quòd neque victi vindictæ cupiditate pacem vellent, neque victores victis inducias tanquàm successu damnosas dandas putarent: quibus rerum difficultatibus adductus princeps, quòd vnum omnino remedium in tanta ciuitatis perturbatione tranquillitatem afferre posse videbatur; Facinio datis obsidibus, se se reconciliat, eumque iterum accersit, & bellicarum ciuiliumque rerum moderatorem, cum suprema potestate creat, eius aduentu Guelphi qui sub Bucicaldo insolentes euaserant, arma posuerunt; quiescentibusque demum Gibellinis atque vrbe pacata, Facinius Bergomatibus bellum inferre iussus, trans Abduam ducto exercitu, rebellantis vrbes agros, omni belli clade vastauit. Sed quum Bergomates consumptis hostili igne suburbanis tectis ne extrema paterentur, se dedere decreuissent; Facinium articularis morbi, renumque dolores usque adeo grauiter inuaserunt, vt abscedere irritò incepto, Papiamque deferri cogeretur. Is morbus qui Facinio supremus fuit, nouandis rebus occasionem præbuisse fertur; summæ namque audaciæ turbulenti ciues in necem principis coniurarunt, in queis eminebant Baucii fratres Andreas & Paulus ex intimis familiaribus; duo Pusterlæ pernobiles; & Franciscus Mainus, Bertonus Mantegatus, & Acontius Triuultius. Hos tanquàm duces ex utroque factionis ordine alii supra triginta sequebantur, neque fuit quisquam è tanto numero qui in summa spe amplissimi præmiifidem prodendo fallere uoluerit, quum in vitæ periculum ex suspecta consociorum multitudine subiret, oderant enim eum omnes tanquàm inusitatæ immanitatis Tyrannum, quòd in tanta per nouem annos ærumnosi Imperii rerum omnium asperitate, insanæ feritatis morbum concepisset, usque adeo horrendum, vt iracundia in rabiem uersa, damnatos aut sibi inuisos, voracissimis canibus laniandos obiiceret, eoque atroci spectaculo magnopere lætaretur; haberetque in delitiis Squarciam Giramum alioqui honesta ortum familia, inhumanæ sæuitiæ ministrum, qui ad eam carnificinam ingentes molossos humana carne alendos suscepisset,